

2k. 378, 27.

X 1903 812

II n
9598

DE MILITIA

Rebusq; gestis

BELLICOSISSIMI EXERCITUUM DUCIS
Libertatis patriæ, religionisq; propugnato-
ris fortissimi

IOHANNIS ZISCÆ EQUI
TIS BOHEMI

ORATIO

A IOHANNE DIONYSIO MRAZ A MILES-
sovka Bohemo Conscripta & habita publico in conventu
Academiae Marpurgensis.

Collegij directionem moderante

CLARISSIMO ET

CONSULTISSIMO VIRO,

D. HERMANNO KIRCHNERO J. U. D.

Orat. & P. C. Eloq. ac Histor.

Professore.



MARPURGI CATTORVM,
Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,
ANNO. M D C. IX.





ILLUSTRI ET GENEROSO
SO Dn. Dn. VENCESLAO VVILHELMO BA-
roni à Rauppova, Domino in Trnovan & Zitenicz
Domino suo summissè colendo.

Nec non

GENEROSO NOBILISSIMOQVE D. IOHANNI
VVenceslao Brozansky à Vrzesoviz, Domino & fautori suo of-
ficiosè colendo.

Sicut &

NOBILISS. CLARISSIMOQVE VIRO D. IOHAN-
ni Theodoro ab Ottersdorf veteris urbis Pragensis civi meritif-
simo, Domino & patrueli suo plurimum observando.

Hanc orationem inscribit & offert Iohan-
nes Dionysius Mrazk.



ORATIO

DE FORTISSIMO ET BEL-
LICOSISSIMO BOHEMIÆ DUCE

JOHANNÉ ZISCA.

Praclarè Cicero Latina lingua parens in libris suis quos de Officijs inscripsit; Magnifice Domine Rector, Amplissime Domine Procancellarie, Spectabiles, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi & Præstantissimi Viri, Domini Professores & Praeceptores observandi; Tuq; Nobilium, studiosorumq; ornatissima corona: Praclarè, inquam, Cicero inter alia præcepta quæ ad vitam benè honestèq; instituendam pertinent à Platone divini ingenij & summi judicij Philosopho, calculum suum eidem adijciens, ita scriptum esse commemorat: Non nobis solùm nati sumus, sed ortus nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici. Quo divini Platonis pariterq; Ciceronis præcepto admonemur, nobis in id omni studio, curâ & contentione incumbendum esse, ut ijs, à quibus cumulatis magnis simus beneficijs, ac vitalem auram hauserimus, quorum beneficio hanc lucem adspexerimus, quocunq; modo dignam referre gratiam studeamus. Cùm autem inter alia, quæ patriæ omnium charitates complexa, amoris & pietatis fideiq; officia debeamus, non minimum sit viros de patriâ benè meritos, quorum virtute, fortitudine, laboreq; non modò amplificata & aucta, sed etiam conservata & in meliorem statum restituta sit, meritijs laudibus ac præmijs afficere, & præmijs dignissimis honorum ac gloriæ condecorare, quòd non modò patriæ ipsius nomen ac decus, verum etiam salus Reipub. eo ipso



ORATIO DE DUCE

officio maxime contineatur, ut aliorum prestantissimorum hominum exemplis ad imitationem preclare factorum quam plurimum incitentur, eorumque vestigijs insistentes, ad patriæ salutem & incolumitatem, cui secundum Deum omnia nostra accepta referenda sunt, omnes suas curas, omnia studia, & consilia conferant: nihil mihi prius, nihil potius hoc loco, cum eloquentiæ exercenda specimen aliquod edere constituerim, occurrere potuit, quam ex superiorum patriæ meæ Bohemiæ atatum fortissimus & bellicosissimus Z I S C A, quem divinitus contra Pontificios furores veritati asserenda, ac iniquissime cædi & sceleri vindicando in duobus Patriæ meæ eruditissimis Doctõribus perpetrato, oblatum datumque esse, ipsa rerum magnitudo, & incredibile felicitas clarissime ostendit. Etenim quæ ille bella domi forisque fortissime gessit? quàm multas nationes prælijs devicit? quanto zelo mortem sanctissimorum martyrum Iohannis Husi, & Hieronymi Pragensis vindicavit?

Hæc omnia tanta, tamque admirabilia sunt, ut ea silentio involvere nefas esse existimem: præsertim verò cum ferè nullum ex omni gentis nostræ antiquitate, ex omnibus fastis & annalibus, simile exemplum habeamus, neque ullus, vel nostræ, vel patrum nostrorum memoriâ extiterit, qui pari Zelo, pari virtute, pari felicitate, tanta bella administraverit, tantaque alacritate, tanto animo ac spiritu, pro aris ac focis, pro puriore religione facta tectaque conservanda, omnes opes ac facultates, atque adeò sanguinem ac vitam suam profundendam obtulerit. De hoc itaque fortissimo & invictissimo Duce, cum ad vos sermonem facere constituerim, primum in hac mea oratione summam rerum ab ipso præclarissime gestarum vobis in medium proferam: deinde, nihil in rebus illis omnibus esse, quod non divino ille quodam Zelo ac animi invicti ardore iustissime fecisse dici possit, ostendam: nihil quod non ad patriæ libertatem tuendam, ad veram religio-

religionem defendendam susceptum administratumq; videatur.
 Quod dum facio, vos, Magnifici, Spectabiles, Reverendi, Con-
 sultissimi viri, vos etiam Nobilissimi, Humanissimi, atq; Da-
 ctissimi Domini studiosi precibus maximis oro & obtestor, ut mihi
 de rebus maximis, qua fieri poterit brevitate dicturo, exigui tem-
 poris usuram concedere, equissimo iudicio ac animo adesse, auri-
 busq; benignissimis orationem meam tenuem ac jejunam, neq; tan-
 tarum rerum gravitati, tantiq; Ducis splendori respondentem, ex-
 cipere non dedignemini. Quod si mihi à vobis tribui, concediq;
 sentiam, perficiam profecto ut hunc Ducem, cujus virtutes vobis ob
 oculos positas dabo, ab ijs, qui laude & virtute bellica claruerunt,
 non modò non segregandum, sed etiam divinis quibusq; viris
 annumerandum censeatis. Atq; ut hinc exordiar: Natus est Io-
 hannes Zisca Hussitarum Dux & bellator fortissimus, anno tre-
 centesimo nonagesimo tertio in Patria mea Bohemia, qua splendi-
 dissima Imperij Germanici pars & peculiare regnum est, non
 modò illustrissimo Electoralis dignitatis honore & titulo, sed etiam
 honorificentissimo Imperialis Archiepiscopi, ut vocant, mu-
 nere ac officio amplificatum, in oppido cui Trosnovia nomen.
 Parentes quorum beneficio in hanc editus est lucem ambo ho-
 nestissimis familijs oriundi, sed tamen fortunæ iniquitate val-
 dè depressi, utpote quibus exigua erant opes, reditus ferè nul-
 li, suppellex satis angusta: nihilominus tamen filium non sor-
 didis ac vilibus laboribus obeundis manciparunt, sed domi li-
 beraliter & honestè educatum, ad aulam Regiam ablegarunt.
 In familia itaq; Regis Bohemia etatem agens, non desidia aut volu-
 ptati, non otio & socordia, sed bellicis precipuè rebus sedulo operam
 dedit, Regiq; in expeditionib. aliquoties suam navavit operam,
 in ijsq; ita strenuè se gessit, ut magnitudine animi & fortitudine
 nemini concederet. Corpore erat procero & ad severitatē cōposito la-
 borūq; omniū tolerante, cui etiā prima militia rudimenta eandem

belli fortunam ac premium attulit, quod, quemadmodum Plutarchus gravissimus scriptor annotavit, è veteri memoria fortissimis quibusdam ducibus singularifatorum convenientia contigisse memoratur, ut ex praelijs altero oculo capti redierint. Ita enim Philippus Macedonia Rex Alexandri Magni Pater: Ita Pœnorum fortissimus Dux Hannibal: Ita Romanorum Sertorius militasse leguntur & in honestamento corporis summa virtutis gloriam ac laudem ostentasse. Atq; ita hic noster Iohannes per virtutem, quod rarum est, emerferat, ut inter primos numeraretur, cum alioqui sorte & opum angustia propè esset infimus: ideoq; non semper verum esse illud in sese demonstravit, quod Iuvenalis cecinit:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Erat ei præterea hoc à natura tributum, ut blandis sermonibus, jocisq; urbanis, quæ serijs intermiscere solebat, mirificam gratiam & favorem hominum sibi reconciliaret, proptereaq; ab ipso Rege in delicijs haberetur. Florebat tum temporis Academia Pragensis, ad quam ex varijs nationibus, præcipuè verò ex Germanis innumera confluit multitudo. Inter Bohemos verò excelluit Iohannes Hus vir acerrimi ingenij & iudicij, qui singulari Spiritus Sancti luce illuminatus, plurimumq; lectione librorum Viclefi adiutus, primum omnium agnovit Romanæ Ecclesiæ tenebras, agnovit errores, & intellexit dogmata ejusdem divinis literis è diametro adversari. Cæpit igitur privatim & publicè in templis concionando errores in doctrinam Ecclesiæ in vectos notare, cæpit perversitatem administrationis Ecclesiasticæ & vitia præsentium, & imprimis Papæ dominationem graviter reprehendere, cæpit ordinis Ecclesiastici flagitia atq; scelera accusando execrari, cæpit Ecclesiæ sanctæ miseram conditionem deplorare. Quid fit? Pontifex egre ferens impuritatem suam detegi, vitia taxari, errores monstrari,

JOHANNES ZISCA.

monstrari, coacto Concilio Constantia in Helvetia, datâ fide publicâ, evocat eodem Iohannem Hussum: qui cum in veritatis professione, quam divinitus sibi revelatam habuit, constantissimus esset, neq; ab ea vel latum unguem discedere vellet, neq; se minis ullis absterreri, neq; ullis pollicitationibus abducipateretur, ad supplicium ignis damnatus est. Hujus rei fama cum in Bohemiam penetrasset, indignè quidem ferebant hoc nonnulli, metuentes tamen furorem Pontificiorum, qui dicta & facta sua pro oraculis venditant, nihil omninò contradicere audebant. Inter ceteros autem summum, & apertâ fronte & animo præ se ferebat dolorem Zisca, quem conspicatus Rex quasi extra se raptum, vultuq; planè mutato squalidum interrogavit. Quidnam ipsi evenisset, quòd tam tristis esset? Zisca indignabundus: Indignum facinus commissum esse, inquit, à Patribus in Concilio, quòd virum pium & sanctum, vitæ inculpatae, & zelo asserendæ veritatis flagrantem, fide publicâ, quâ ab Imperatore munitus erat, violatâ combussissent. Ad qua subridens Rex, factum infectum, inquit, fieri nequit: Si tu poteris istam ulcisci injuriam, per me licebit. Audito Regis sermone Zisca statim impetratâ veniâ à Rege ex aula discedit, & collecta multitudine in monasteria, quæ Praga erant, impetum facit, eisq; partim dirutis, partim vastatis, furore Pontificiorum inflammato, salvus & incolumis non sine divino miraculo ex urbe evasit, monasterium Carthusiensium Praga vicinum occupavit, monachos, tanquam pestem perniciosissimam, quod veluti sues in claustris tanquam in havis saginarentur, ejecit, expulit, dissipavit. Exinde profectus ad locum quem Cruces appellant de arce VVissegradensi oppugnanda deliberat, ubi supra quadraginta millia virorum ad omnia pericula paratissimorum convenère, seseq; Zisca adjunxere. Inde misso magno militum numero, Pilznam civitatem pulcherrimam, ubi complures erant, qui Zisca favebant, presidio munit, cum reliquis ipse arcem VVissegradensem invasit. Pilznenses cum tan-

Q U A R T I O D E D U C E

cum tantam vim sustinere hosti^q resistere nō possent, fœdus ineunt.
 Revocatis itaq³ militibus omnes vires suas Zisca ad oppugnandam
 arcem Vissegradensem contulit. Pugnatum acerrimè; Zisca ho-
 stium telis ita obrutus fuit, ut penè victus prostratusq³ cum suis vi-
 deretur. Sed ut ambigua & incerta est fortuna belli, subito è vi-
 cto victor evasit. Nam cum hostes eum in fugâ, quam simulabat
 persequerentur, atq³ in loca aspera devenirent, ipse mulieribus, quæ
 suorum virorum militiam sequebantur edixit, ut pepla capiti de-
 tracta humi projicerent, quibus implicati hostes, cum per calcaria
 tanquam in pice harerent, nec sese expedire possent, à militibus Zi-
 sca partim cæsi, partim in fugam sunt conversi. Inde Muscam
 petijt, eamq³ Quadragesima nocte aggressus oppugnavit, diripuit,
 incendit. Sed & Licium Castellum, quod non procul ab eo loco
 distabat maximâ vicæpit, & Vlricum quendam ex proceribus Bo-
 hemia, qui se eò cum familia receperat, interfecit. Cum autem ha-
 denus perfugium & asylum quò confugere posset nullum habuisset,
 delegit locum quendam naturâ munitum, quem mœnibus cinxit
 ei^q Thabor nomen indidit, quæ civitas ad hunc usq³ diem frequen-
 ter incolitur & inter præcipuas numeratur. Emersit tum in Bo-
 hemia secta Adamitarum, cujus antistes fuit Picardus quidam
 ex Gallijs oriundus. Hi nudi incedebant, & mulieribus promiscuè
 utebantur. Quam pestem Zisca cum suis ita delevit, ut ne vesti-
 gia ejus usquam appareant. Dum hæc ita geruntur, Sigismundus
 Imperator, cum ingenti exercitu in quo erant duces Saxonia, Mar-
 chio Brandenburgensis, & Albertus Austria Princeps, in Bohemi-
 am proficiscitur, ratus, fore, ut tumultuantem Ziscam facile coerce-
 ret. Zisca & ipse Pragam cum exercitu suo contendit, arcem ob-
 sidet, omnesq³ aditus Sigismundo intercludit, montem Viclehonis
 dictum, qui Praga imminet præsidio munit, cum quibus Marchio
 Misnensis congressus non diu pugnavit, militibus ipsius partim
 cæsis, partim ex monte deturbatis. Inde Zisca reversus ad Tha-
 boritas

JOHANNES ZISCA.

boritas, multa loca oppugnavit, cepit, diripuit, monasteria opibus & structuris insignia incendit, in monasterio Claronensi, quod oppido munitum erat, presidium posuit. Hoc Sigismundus adductis copijs, illic oppugnavit: sed quid fit? Superveniente Zisca in fugam turpiter conversus est. Post oppidum cui Rabi nomen obsedit, ubi alterum oculum, quo solo lumen cæli videbat, sagitta confossus amisit. Sed neq; hæc calamitas animum hominis fortissimi debilitavit aut à proposito deterruit, quin potius calcar addidit ut majori ardore & audaciâ hostes undiquaq; aggredereetur. Nam cum Sigismundus Imperator collecto ex Austrialibus & Moravis exercitu aliqua oppida cepisset: irruente in ipsum Zisca ceu Panico quodam terrore percussus, pluribusq; ex Nobilitate præcipua amissis aufugit: quem Zisca cum suis insecutus ingentem prædam reportavit. Inde reversus monasteria demoliebatur, picturas, statuas, omniaq; idola, cum aris & templis deiciebat, monachos expellebat, trucidabat. Sed & in exterarum regionum excursionibus factis Austriam, Moraviam, Misniam, Thuringiam, invasit, abactisq; in prædam pecoribus agros longè lateq; vastavit. Inde reductis exercitibus obsedit Auscam civitatem, quam Marchiones Misnenses presidio tuebantur. Fridericus itaq; Marchio Misnensis, & frater eius Thuringiæ Princeps, collecto ex Saxoniam, Thuringiam, Misnia, & utraq; Lusatia exercitu, obsessis opem & auxilium ferre conabantur. Commissum est ante urbem prælium diuq; ambiguo Marte pugnatum. Ad extremum verò victoria penes Ziscam fuit. Misnenses & Chirpogenses, & Comites Cilicenses multiq; Nobiles in eo prælio cum novè millibus ceciderunt civitasq; ipsa capta, & funditus deleta est. Pragenses incitati à Baronibus contra Ziscam, cum numeroso exercitu eum insecuti sunt, quibus ad tempus quidem cessit, postea verò cum commodè visum esset pedem fixit & certamen commisit, Pragensibus ad tria millia cæsis, reliquis fugatis. Quid tum verò Sigismundus Imperator? ille cum animo

B

suo tam

suo tam divinam Zisca perpendisset felicitatem & fortitudinem, seque longè inferiorem esse agnosceret, quàm ut illius viribus & consilijs resistere possit, eo omnes rationes, omnia sua consilia convertit, ut felicissimum hostem placaret, Ziscam sibi reconciliaret, ac per ipsius amicitiam regnum quietum obtineret. Missis itaque ad eum Legatis gubernationem totius Regni & militiae & ingens auri pondus promisit, si se Regem nominaret. Annuit Zisca conditionibus, & ad Imperatorem profectus, apud Castellum Priscoviam peste correptus occubuit Dux omnium fortissimus. Deum Immortalem! Quem nulla vis hominum, nulla potentia Principum, nulla Imperatoris dignitas, nulla fortunæ iniquitas, nulla pericula superare potuerunt, eum fatalis omnium mortalium necessitas ex summo fortunæ fastigio, haud secus ac Magnum illum totius terrarum orbis victorem Alexandrum in loculum subito abripit, abreptum humo condit, matricum communi reddit. Sed quis hic divini iudicij rationes scrutari potest, quid cause fuerit, quòd tantum heroem terris superesse fatum diutius noluerit, quem non modò viventem, sed etiam mortuum religionis hostibus terrori fuisse accepimus. Dignus profectò ille vitâ longissimâ, dignus qui aliquot secula vixisset.

Nec enim hoc loco nobis prætereundum est, quòd cum jam animam ageret, interrogatus quomodo sepeliri vellet, respondisse memoratur. Quid illud? fore inquit, ut si cada veri suo pellis detraheretur, indequè tympanum fieret, hostes audito ejus pulsu, fugam sint illicò arrepturi. Idque ita evenisse pro certo affirmant, atque in hujus rei memoriam tympanum istud, cum armis quibus usus est in bello Czaclavia in Bohemia diligentissimè in hunc usque diem asservatur. At quid, mortuo Zisca, an cum eo fortitudo & virtus militum simul mortua est? Minimè omnium. Mortuus Zisca tunc demum in militibus suis vivere cepit. Etenim quanta exercitus hi postea commiserunt praelia? quantas ex hostibus reportavere vi-
torias

Etorias? quantas edidère strages? quæ si omnia recensere vellem
 dies me citius quàm oratio deficeret. Cum enim Pontifex, totam
 in Bohemos concitaret Germaniam, perficeretq̃, ut ingentes exer-
 citus è diversis locis contraherentur, omnes illi partim cæsi & repul-
 si, partim sponte, nondum viso hoste diffugerunt, ut non dubi-
 um sit, pro piorum grege veritatem Evangelij amplexo pugnas-
 se sanctos Angelos, qui hostibus tantum terrorem incusserunt, ut cum
 adversarijs congregari in posterum non auderent. Atq̃ hæc ita esse,
 non modò constantissimæ fidei scriptores veritatem secuti testan-
 tur, sed & ipsi hostes & inimici nolentes volentes asseverare sunt
 coacti. Quid enim de Ænea Sylvio, primùm in aulâ Imperatoriâ
 Secretario, postea verò rubeum galerum, & triplicem tiaram ade-
 pto dicam? Is quamvis infensissimus fuerit religionis Bohemica ho-
 stis, attamen veritati astipulari coactus, ea omnia quæ à Zisca for-
 tissimè & felicissimè gesta sunt, bonâ fide exponit, ita ut verisimile
 sit, eum etiam invitum stimulo conscientie ad veritatis testimoni-
 um compulsus fuisse. Tanta enim vis est veritatis, ut vel ipsis ini-
 micis & adversarijs, qui eam summâ vi oppugnare nituntur con-
 fessionem extorqueat, eorum oculos ita splendore suo perstringat, ut
 etiam invitum testimonium ei perhibere cogantur? Quid de Daub-
 ravio Episcopo Olomucensi Hussitis inimicissimo? Similiter ille in
 Historia Bohemica præclara Ziscæ facta ad eum modum & quidem
 cum admiratione recenset, agnoscitq̃, libenter & liberè fatetur, res
 tantas sine divino numine & auxilio regi & administrari non po-
 tuisse: ut mirum sit istos homines, eò usq̃ dementiæ fuisse progressos,
 ut scelera Pontificiorum quæ in aprico sunt, excusare, contra verò
 Hussitas propter mota bella, probris insectari, & convitijs lacera-
 re in animum induxerint. Quis enim non videt, quis non intelli-
 git, eos divinitus excitatos fuisse, ad defendendam veritatem,
 quæ propter Pontificiorum superstitionem tantis immersa fuit te-
 nebris, ut ne umbra quidem vera Ecclesiæ apparuerit? Ut nihil di-

cam de tyrannide, de violentis injurijs, de exitiosis fraudibus, quibus bestia illa Romana per universum orbem terrarum grassabatur. Et tamen impudenter Pontificij, non secus atq; rabidi canes, nostros allatrare, eosq; crimine haereseos notare audent, cum nihil eis cordi magis fuerit, quam religio, nihil magis cura quam veritatis defensio: quasi verò nefas sit, vitia in Ecclesiastici ordinis hominibus reprehendere, illius proceres increpare, & cum ijs de injurijs expostulare. Sed ut ut illi clamitent & vociferentur, nihil tamen minus efficiunt quam olim illi, qui, sicut Ethnici tradiderunt, Iovi bellum movere statuerunt: manet enim invicta veritas, palmamq; tenet, quam ei extorquere non poterunt, etiamsi omnes corporis & ingenij nervos & vires, quod haecenus fecere, eo intendant. Felix Bohemia cui fuit datus tantus Dux & Heros, qui non solum pro Patria libertate, pro aris ac focis dimicare, sed etiam pro religione defendenda sese in extremum vitae discrimen conijcere, omnia pericula subire, mortem deniq; ipsam contemnere non dubitavit: qui furores Pontificiorum armis & fraudibus, aperte & clam grassantium repressit, potentiam eorum imminuit, vires deniq; omnes ita debilitavit, ut nulla spes relicta fuerit Pontifici Romano ad pristinum nitorem redeundi.

Merito itaq; ejus virtutes ab omnibus celebrantur. Sed & ut maximè omnium hominum voces, scripta ac calami conticere voluissent, ipsi tamen Patria meae lapides, monumentaq; vetusta loquerentur, ipsa rudera & caementa, delubra, fanaq; arces & castella, omnes vici & oppida eadem predicarent. Quid enim mons & oppidum Thabor, quoties tibi, o fortissime Zisca asylum praebuit? Quoties impetum hostium in te servientium sustinuit? Quoties afflictissima Sarepta à te defensa fuit? Quoties cede & sanguine maduit? Tuas laudes, tuas virtutes loquitur, te veritatis caelestis fuisse assertorem testatur, & sibi se omnia quae maxima haberi possunt debere fatetur. Quid opulentissima & argentifodi-

nis flo-

nis florentissima Cuthna (Antichristi Crumenam vocabant) quoties hinc praelia commissa? -----

— Hic Sigismundus casus, hic monasteria direpta, hic multa millia fideiū casa Quid Theutonum Broda? & ipsa à Zisca oppugnata & deleta fuit? Quid Pilsna? Quid ipsa Regni Metropolis Praga? & ipsa experta est vires Zisca non semel ab ipso capta & occupata, quod testantur adhuc monasteria diruta & demolita. Quantus numerus martyrio ibidem coronatus, posteaquam veritas Evangelij illucescere & per Hussum predicari cœpit. Sed quid singulas civitates & oppida enumero? Testis est tota Bohemia, quæ insignium arcium, naturâ & arte munitarum, & magnificentissimorum cœnobiorum, qualia nullibi, si Sylvio credimus, reperiuntur, rudera ostendit. Testis est Vngaria, quæ per viginti octo annos bellis gravissimis ab Hussitis afflicta & infestata fuit. Testis est ipsa hæc Germania, quæ magnas quoq; calamitates tum temporis per eadē vulnera toleravit. Quis igitur vestrum est, qui non ex illis omnibus hætenus auditis, divinam animi suscitationem, quis non cœlestem quendam Elie zelum, regium Iosia ardorem & pietatem animadvertat? Quid non ille pro religione tuenda, pro Sacramētis integris obtinendis gessit? Quid non perpeffus est? Quis unquam putasset fore, ut homo privatus, nullis opibus aut facultatibus instructus, nullis præsijs cinctus, nullis oppidis munitus, tot tantisq; Principibus, tot Magnatibus, toti deniq; Imperio Romano sese opponere auderet? Incredible profectò hoc alicui videretur, nisi tot gravissimorum autorum, qui ista monumentis suis consignarunt, extarent scripta. O fortitudinem omni laude & prædicatione, æternis trophæis & monumentis decorandam? Hic est ille qui non modò eorum hominum qui nunc sunt, sed omnem antiquitatis memoriam virtute superavit. -----

— Hic ille, cui tantus Imperator, cuius nomen & Italia, & Gallia, & Germania & omnis Europa venerata est, quem omnes barbara

nationes timuerunt, supplex factus est. Hic est qui sepius cum hoste confligit, quam quisquam cum inimico suo certavit, plura bella gessit, quam ceteri concupiverunt. Hic ille qui toti Imperio Romano formidabilis extitit. Hic ille ad cuius mentionem hostes trepidabant. Hic ille, qui elatissimam Pontificiorum superbiam primus depressit jugumq; eorum primus excussit. At quorsum ista omnia? eò nimirum ut intelligatis Ziscam de cælo delapsam fuisse, & ad repurgandam Ecclesiam à Pontificijs erroribus contra Romanos Philistæos tanquam aliquem Samsonem divinitus fuisse excitatum: ac ut præterea persuasissimum vobis habeatis, non sine gravissimâ causâ maiores nostros contra Pontificios arma sumsisse, eamque ob causam potius in bello, quam in pace vivere maluisse. Non eos avaritia, non ambitio, non spoliatorum cupiditas, non novitatis ardor, sed verioris religionis amor & propugnanda veritatis flagrantissimus ardor & zelus eò deduxit, eò compulit, ut anticipem belli aleam experiri, sesequè summis difficultatibus obijcere non dubitarint. Atque hoc illud est, quod fortissimi Ducis monumentum ad omnem posteritatem per æternum lapidem, qui Epitaphium ejus continet, sepulchroquè impositus est verissimis his verbis loquitur, quæ vestris auribus, ut puto, non ingrata, non injucunda erunt. Johannes, Zisca, nulli Imperatorum Ducumve rei militaris peritiâ inferior, superbiæ, simul & avaritiæ Clericorum severus ultor, Patriæquè accerrimus propugnator hic jacet. Quod Appius Claudius Cæcus bene consulendo, & Marcus Furius Camillus strenuè agendo suis Romanis præbuere, hoc ipsum Bohemis meis præstiti, fortunæ belli nunquam defui, neque illa mihi, omnem opportunitatem rerum bene gerendarum etiam cæcus prævidi, signis collatis undecies semper victor depugnavi.

Visus

Vilus sum mihi miserorum, & esurientium justissimam causam, adversus delicatos, pingues, & saginatos sacerdotes egregiè egisse, & ob hoc Dei auxilium sensitse. Nisi illorum invidia obstaret, inter Illustres viros numerari procul dubio meruissem: Tamen ossa mea hoc sacrato loco cubant, etiam insalutato Papa, invitoquè.

Lapides, lapides, Auditores, hæc nostri loquuntur, æternumquè testimonium virtutis divinæ Ziscæ nostro perhibent.

Quid itaque vos Pontificij, quo ore, quâ fronte, heroem tantum audetis dicere rapinarum avidum, projectæ, effrenatæquè audaciæ, ad quodvis scelus audendum promptum, avarum, sacrilegum, quem nulla religio, nulla pietas, nulla fides, à scelere retrahere ac revocare potuerit. Ad statuas & cippos vobiscum eant, imò ad malam rem, quicumque impudenter talia effutire non erubescunt, induant frontem & intelligant nos longè diversum ab illis sentire, utpote qui eorum fraudes, scelera, superstitiones, jam pridem perspectas, & exploratas habeamus. Sed quid longioribus verbis immoramur? Interrogetur ipsa regni nostri Ecclesia. Quid illa? Non fortiùs Camillum, inquit, Romanorum pro libertate Patriæ cum Galli Capitolium obsiderent, dimicasse: non Fabium contra Hannibalem gloriôsius rem egisse; non Scipionem contra Pænorum ferociam felicîus militasse, existimetis, quàm Ziscam Nobilissimum Ducem nostrum contra ferro igniq; sævientes Christi, nostri, ejusq; verbi ac sacramentorum inimicos contendisse vidimus. Huc omnis ejus labor ac sudor, huc vigilia, huc acies, huc mucro ejus ibat, hoc cæcitas ejus spectabat, ut Ecclesiâ luci, Patriæ oculû lumenq; restitueret: huc solum contendebat, hoc cogitabat, ut verû Deicultû, qui à Patriâ per idololatriam Pontificiorum exulabat postliminiò revocaret atq; reduceret, ac Ecclesiæ Dei quæ assiduis fluctibus agitata nusquam consistere certa sede potuit, portum
& asy-

& asylum pararet. Hoc ipsum Sigismundus Rex & Imperator
 tandem agnovit, hoc confirmavit, hoc quasi vit, cum paulò ante
 quàm terris eriperetur defensor religionis acerrimus, animadver-
 so divino rerum omnium in Duce Zisca successu, ipse se totum con-
 silijs & auxilijs ejusdem commendaret, ab ipso pacem peteret; ho-
 norem ipsi, qui apud nos summis proceribus summus habetur spon-
 te per legatos suos offerret, Hoc idem etiam eventus felicissimus
 comprobavit. Etenim quòd nunc apud nos pura Verbi Divini
 vigeat prædicatio, quòd Sacramenta secundum institutione Chri-
 sti administrantur, quòd idola è templis ejecta, quòd Pontificia re-
 ligio è plerisq; locis foras pulsa, quòd deniq; religio, tum in hoc,
 tum exteris alijs regnis ac imperijs instaurata hoc certè Zi-
 sca victorijs maximà ex parte acceptum ferendum est. Quemad-
 modum illud nostrates in depicta in victissimi Ducis imagine, qui
 altera manu calicem, altera gladium gerit adumbrare, ac ostende-
 re posteritati per aeternam memoriam voluerunt. Atq; hæc de
 Iohanne Zisca Duce fortissimo pro tenuitate ingenij mihi dixisse
 sufficiat. Ex his enim quæ à me allata sunt vos intellexisse puto,
 quantas ille res domi forisq; gesserit, quanto præterea eog; justissimo
 zelo defendenda veritatis flagrarit, ita ut dignissimus sit quem
 summis ad cælum laudibus eunèti exebant, quem celebrent & præ-
 dicent omnes nationes, dignissimus cuius heroicum no-
 men ab omni interitu & oblivione perpe-
 tuò vindicetur.

DIXI.

HER.

1077

2K. 378, 27.

X 190

BELLICO
Libert

IOHA

A IOHA
sovka Bo

CLA
CONS
D. HEF



DU CIS
to-

QUI

MILES-
nventu

ET
IRO,
J. U. D.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

